

1529. ultimis Julij

367

19

Petrus Tomicki, Bernardo Maciejowski
iudici Sandomiriensi referendario regio.

124

Generose domine amice charissime. Cum fecisset nos certiores magnificus dominus Christophorus Schidlowiecki castellanus Cracoviensis, quod vos non solveritis censum, quem pro septingentis florenis in moneta in bonis vestris emimus, et ad munitionem oppidi Lukow convertimus, ad tempus; puduit nos plurimum quod aliter res esset, quam nos domino castellano Cracoviensi futurum polliceremur, et proinde scripseramus vobis declarantes, quam gravi animo tulimus non solum esse per vos eandem causam debitam. Cum autem illum prout scripsistis, solvistis, non habemus ulterius causam exostulandi vobiscum, quin etiam grato animo suscipimus, quod debito vestro satisfecistis. Quamvis enim res nostras proprias non satis diligenter curamus; nollemus tamen in rebus alienis, et que fidei nostra credite sunt, negligentes videri. Decimas nostras quas vobis annis superioribus in terra Lublinensi dare consuevimus, anno etiam presentis dari vobis iussimus. Sciatis vero quod officiales nostri estimant easdem decimas ad quatuordecim marcas pecuniarum, et ita ponunt eas nobis in ratione et calculo. Be-

ne

Bene valete. Datum Craovia feria quinta
proxima ante diem sancti Petri ad vincula,
anno Domini 1529.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]